

damnum iturís id omen visum esset . Illustris olim civitas , præcipueque bellorum civilium temporibus celebrata : eo enim Pompejus omnes belli apparatus in Cæsarem contulit . Nunc deserta , ac pene inhabitata est ; eam Veneti ob portus commoditatem custodiunt . Post Dyrrachium , Butuanum , Antibarum , & Olchinum præsidio firmant . Olchinum olim , auctore Plinio , Colchinum dictum , quia a Colchis conditum : ab iis credo , quos ad Medeam insequendam in Hadriatici & Ionii maris oram venisse manifeste constat . Gravissimos auctores habeo , adhuc loci incolas vetustissimam conditorum sapere feritatem , qui præ cæteris ejus oræ accolis , hospitibus infesti habeantur . Imperatores ipsi ad Sergii fanum in oppidanorum conspectu cum reliqua classe confedere . Distat is locus a Scodra quinque passuum millia , a mari quatuordecim : ultra ædem fluvius , quia pluribus locis vadosus , triremibus navigari non potest . Ex eo loco mutua constantiæ signa , mane & vesperi accenso igne , ex classe & oppido reddebantur . Colligit sese in arctissimas fauces Boliana , infra templum ad Scalam , locum qui octo millia passuum a classe aberat . Eas angustias barbari ad triremes intercludendas catena & trabibus obstruere adorti , adduxissent omnino Venetos in discrimen maximum , nisi id per transfugam mature illi rescivissent : qui periculo rei commoti , confestim structis navibus , ad fauces occupandas contendunt . Jam hostis sub navium accessum confertissimo agmine ripam infederat . Coorta igitur subito pugna , barbarus Venetum sagittarum multitudine , Venetus illum lapidibus & glan-
de plumbea machinis excussa affligebat , telaque ad hæc cujusque generis ingerens , fœdissimam edebat stragem . Tectus ipse ac munitus in hostem ad omnem injuriam expositum pugnabat , nec telum aliquod in confertissimum agmen irritum cadebat . Quingentis igitur amissis , pluribus vulneratis , cessit hostis . Veneti victores quatuor triremibus ad loci præsidium relictis , ad pristinam fani stationem redeunt . Plerique ex iis qui rei gerendæ interfuere , prius Triadani auspiciis adversus barbaros ad Bo-
lia-

*Venetæ tri-
remes in
Boliana
prospere in
Turcos pu-
gnant .*